

R.K.  
405  
11

(X 1880956)



O. A. V. M.

HISTORIAM  
CORONÆ REGUM MA-  
TRIMONIALIS,

PRÆSIDE

DN. M. JOANNE Gottlieb Hardt/

Assessore Facultatis Philolophicæ,

die XIX. Julii

M DC XC.

H. L. Q. C.

eruditus, ut publicè ventiletur,  
exhibebit

AUTOR - RESPONDENS

OTTO ALBERTUS de MANDELSLOH,

Eques Magdeburgicus.

---

LIPSIÆ,

Literis CHRISTOPHORI GUNTHERI



*H. H. H. H.*





V I R O  
*Reverendissimo ac Per-Illustri,*  
DOMINO  
**GEBHARDO JULIO**  
de **MANDELSLOH,**  
Camerae in aula Electorali Bran-  
denburg. Domino, in Ducatu Magdebur-  
genſi Conſiliario Regiminis & Commiſſario ad res bellicas  
ſupremo; Praefectarum VVanslebiensis & VVolmirſte-  
denſis Toparchae; Capitulum Collegiatorum S.S.S.S.  
Sebaſtiani, Gangolphi, Petri Pauli, reſpective Decano &  
Seniori; Haereditario in Rheten, Malenzin, Ribbes-  
buttel, Hilberding, Teutenwinckel &  
Meleberg,

*Parentifiliali cultu & obſervantiâ æter-*  
*nùm proſequendo, ſuſpiciendo,*

pro tot tantisque beneficiis, & ad promerendum porro  
favorem Paternum

Hoc quaecumque Academicum ſpecimen

*do, dico, dedico,*

Filius obedientiſſimus

**Otto Albertus de Mandelsloh.**





## I. N. 7.

Th. I.



Arolus Paschalius, apud Rhætos  
Legatus regius, de Coronis opus X. li-  
bris distinctum, industriâ prorsus exqui-  
sitâ, plenè propemodum adeo & nitidè  
concinnavit, ut, sole interim culminan-  
te, facem tamen accendisse videremur,  
si de origine deque variâ vocabuli usur-  
patione verba curatiùs cumularemus.  
Addi potest Prosper. Stellart. de Coronis  
& Tonsuris Paganorum, Judæorum, Christianorum, Duaci 1625.  
Et Dempster. Paralip. ad L. X. C. XXIX. Antiqu. Rosin.

## II.

Is Paschalius libri secundi capite supra decimum sextò atq;  
septimò, coronis nuptialibus describendis vacat, cum promiscuis,  
quibus ex lætissimis floribus confectis utrumque sponforum,  
nonnunquam etiam affines & domesticos, imo thalamum ipsum  
redimiri solenne priscis temporibus habebatur; tum Reginarum  
propriis, quæ, ex floribus aureis gemmeisque naturales imitanti-  
bus nexæ, reginis manu sponforum, quemadmodum Alexander  
sponsus Roxanæ fecit, dono datæ sunt.

## III.

Neutras harum nos attendimus, siquidem tantùm absit, ut  
ad scopum nostrum pertineant; ut etiam in autoribus laudatis  
de matrimoniali coronâ ne minima quidem vestigia deprehen-  
dantur. Sed quod ipsis tamen vitio vertere nullo modo possu-  
mus, Paschaliò in calce operis perhibente: rem de coronis infini-  
torem esse, nec prius absolvi, quàm desit scriptori, quod legat, or-  
dinet, colliget.

A 2

IV. Ni-



Nimirum exempla prostant foeminarum, quæ, sexu meliore deficiente, rerum summâ in regnis potitæ, Viris, quibuscum nuptias contraxerunt, coronam quidem insigniaque ac titulum regium pactæ sunt; Sed ut hi potestate, quam sibi vel integram istæ, vel potiorem, vel saltim parem reservabant, carentes non tam Reges evaderent, quàm mariti regii, ac coronâ ejusmodi matrimoniali planè acquiescerent: eò fere modò, quò aliàs Imperatores & Reges thori socias coronis honorariis condecorare confecerunt: quas matrimoniales perinde nuncuparemus, nisi usus, à quo discessum faciendi optio non datur, aliæque satis momentosæ circumstantiæ reluctarentur.

## V.

Appellatio isthæc, quantum post sollicitam inquisitionem novimus, Gallis obstetricantibus superiori seculo nata est. Etenim cum Maria, Jacobi V. Regis Scotorum filia unica, regni hæres, (pater quippe octavo post nativitatem die, nempe XIII. Dec. 1542. in fata corruerat;) matris è Gvifiorum familiâ auspiciis, puella sexennis in Galliam missa, Francisco, Henrici II. filio Delphino, II. Cal. Maj. 1558. Lutetiis solenni ritu nupsisset; Cancellarius Franciæ, cum Legatis Scotorum, qui regni nomine nuptiis interfuerant, egit, ut coronam cæteraque regni insignia præsentarent, ut Reginae maritus de more Scotorum Rex crearetur: His nihil sibi de iis rebus mandatum respondentibus, Cancellarius, ut syngraphâ confirmarent, se in proximis Comitibus Scotorum, suffragiis eam rem comprobaturos, urfit. Verum ubi nec velle nec posse adseverarunt, in Scotiam brevi post reversos Legatus Gallorum secutus est, qui Comitibus habitis introductus, cum satis longâ oratione explicasset Regum Gallorum veterem ac diuturnam in omne Scotorum nomen benevolentiam, ab omnibus & singulis vehementer contendit, ut coronâ, quam ille novò ac monstrosò nomine matrimonialem vocabat, maritum suæ Reginae ornent, quo è nomine nullum emolumentum, nulla potentia, præter nudam illius vocis usurpationem esset accessura: Buchananus Rerum Scoticarum Lib. XVI. p. 588. editionis Francofurti 1594. in 8vo excusæ. Thuanus pleraque Buchana-



chanani verba retinens coronam conjugalem vocat Lib. XX. ad  
A. 1558. p. 609. edit. Aurelianensis. Becmano ad actum primæ  
collationis magis respicienti, coronationem maritalem nuncu-  
pare placuit, Notitiæ Dignitat. Illustr. Dissert. V. Cap. III.

## VI.

Probè autem observandum, propositum nobis neutiquam  
esse, ut coronam matrimonialem, ex quâ materiâ confecta, quam  
figuram habeat, describamus. Nam, utut imperialis corona,  
Hispanici regni, Anglici, Ungarici, aliorumque in Europa, ex  
auro quidem conflata omnes, figurâ discrepent, vid. Becm. c. I.  
Dissert. IV. cap. III. §. V. sequ. nulla tamen peculiaris marito fœ-  
minæ imperantis in quocunque regno adsignata fuit. Quem-  
admodum etiam uxores Regum, aliâ coronâ quàm quæ & qualis  
Regis est, dum inaugurari solent, quantum nobis notum, hodie  
haud insigniuntur. Ait Paschalius: In Imperio Constantino-  
politano, Curopalate autore, in more fuit positum, ut imperatri-  
cis diadema specie distingveretur à diademate Imperatoris. Id  
quod hodie in Europa secus fit. Nam quos Deus eodem conju-  
gii vinculo constrinxit, unico capitis insigni nunc quidem utun-  
tur, quando quidem dignitate censentur esse pares, & uxor mari-  
ti radiis coruscat. Lib. X. Cap. IIX. p. 690. Insuper id attendi vo-  
lumus, non in omnibus exemplis coronationis solennia nos ad-  
ducturos: Certè enim pauci ex fœminarum imperantium mari-  
tis coronati sunt: Nonnulli coronâ quidem ornati fuerunt, sed  
neglexerunt cerimonias Historici.

## VII.

Ut paucis nos expediamus, coronam matrimonialem con-  
templabimur: quatenus est character regius à fœmina imperan-  
te marito datus vel nomen regis solummodò, vel præter illud  
confortium etiam regiminis majestatici sive æquale sive inæqua-  
le involvens. Non autem dissimulamus, eam potuisse à nobis  
adhiberi methodum, ut primùm coronæ hujus exempla conqui-  
reremus, deinde jura, & tertio ultimoque loco de justitiâ ejus-  
dem superadderemus disceptationem. Verùm brevitati stu-  
dentes, servatis partibus posterioribus aliî cuidam occasione, so-  
lam pertexuisse historiam, fatis hac vice habere decrevimus.



Exemplis priscorum temporum non studuimus de industriâ, rati, inanem laborem fore, nihilque ad scopum faciens nobis iri subministratum à vetustate, quæ parca fuit admodum & in concedendis sexui sequiori regnis, & in describendis cum regiminis ejus sexus tum connubiorum momentis. Itaque seriem annorum, quantum commode fieri poterit, secuturi, à Joanna I. utriusque Siciliae & Hierosolymarum Regina incipimus (antiquius enim exemplum nobis haud innotuit.) Huic Robertus, Rex sapientissimus, anno 1342. vitâ functus, ex Carolo filio ante patrem mortuo nepti natu maximæ, regnum testamento legavit, eâ conditione tamen: ut Andreas sive Andreae, Caroli Martelli Hungariae Regis, fratris sui, nepoti nuberet, & paribus auspiciis cum eo regnum gubernaret. Factum quemadmodum in testamento constitutum fuerat. Verum post aliquot annos Andreas noctu ad Reginam vocatus, per angiportum transiturus, chordâ ex auro textili in eum usum aliquo tempore ante, reginae manu, spectante Rege, nexâ, quod infrænatae libidini ejus foeminae haud sufficeret, suffocatus est. Pandulphus Collenutius, vel potius ejus ex Italico interpres, Histor. Neapol. Lib. V. p. 215. sequ. edit. Basil. in 4to anno 1572.

## IX.

Nupfit Joanna brevi post Ludovico Principi Tarentino, formosi vultus homini, retinuitque in regno potestatem. Sed Ludovicus Hungariae Rex mortem Andreae fratris ulturus, armata manu regnum expugnavit, fugientibus novis nuptis in Galliam Narbonensem anno 1348. Quia verò gravissima pestis in regno erat exorta, post tres menses Hungariam victor repetiit, ac dein interventu Clementis VI. P. M. qui tunc Avenione erat, Joannæ pactus est; ut ipsa in regnum reversa Reginae nomen usurpare posset, maritus autem non alio titulo, quam Tarenti Principis appellaretur: cætera verò regni jura, postquam ex hac vitâ Regina migrasset, sibi reservarentur. Quamvis regina anno 1352. cum Tarentino Neapolim reversa apud Clementem brevi effecerit, ut regni corona in maritum etiam conferretur, interque ipsos & Ludovicum Hungarum nova pax constitueretur,  
ejus



(7)

ejus rei causa Avenione, quam ex patria hæreditate Joanna possidebat, Pontifici, venditionis tamen specie, donatâ. Tarentinus nimio Veneris usu, quò solò Regina placere poterat, confumtus tertio anno post interiit. Collenut. ibid. a p. 216. - 219.

X.

Nec longo tempore post Regina cum Jacobo Tarrhaconensi tertias nuptias celebravit. Is Majoricæ infans erat, & ex formosissimis viris, quem Regina non regio, sed tantum Calabriae Principis nomine obtinuit. Cæterum post paucos annos moritur ille etiam, ut quidam asserunt, morte naturali; sed quidam ajunt Regnam illi caput amputasse, quoniam rem veneream cum alia muliere habuisset. Verba habet Collenutius ibid. p. 218.

XI.

Imo quarto etiam marito Joanna se junxit, Ottoni Brunsvicensi, ex nobilissimâ Saxonum familiâ nato, qui eo tempore in Italia Ecclesiæ stipendiis conductus Ferrariæ erat, anno 1376. p. 219. Eum non nisi maritum regium fuisse multa evincunt. Nam Regina, licet pacatè cum viro viveret, regimini assveta, ipsum sine dubio pluris quàm antecessorem non fecit, utut Collenutius eâ de re fileat. Deinde pacta cum Ludovico Hungaro inita eo tempore adhuc vigeant. Regina etiam, cum Urbanus VI. Papa creatus esset, & ad illum adorandum Christiani Principes Legatos mitterent, ob eandem causam Romam ablegavit Ottonem Brunsvicensem maritum, atque Nicolaum ICTum, vid. p. 220. seq. quod non fecisset marito pro Rege se gerente. Accedit, quòd novis dissidiis cum Hungaro exortis, Joanna, quæ nunquam puerpera fuit, Ludovicum Andiovinum, Joannis Regis Galliarum secundogenitum, vivente Ottone marito, adoptarit, ut regna post obitum suum possideret. p. 223. quodve Carolus Dyrhachinus, Andreæ patruelis, cui Hungarus ista regna destinavit, captâ Joannâ & Ottone, illam, eodem loco & modo, quo marito fecerat, suffocari juberet, anno 1381. Ottonem verò ante conjugis executionem dimitteret, eâ conditione, ut extra regni fines faceret discessum p. 226. seq. Otto is anno 1389. vitam finivit, ac Foggia sepultus est: id peculiare in eo, quòd in singulis pedibus senos digitos habuerit. p. 236. Adjecimus autem hæc postrema  
duo



duo exempla, non quòd planè quadrent ad nostrum scopum; sed quòd non prorsus viderentur ab eodem absona.

## XII.

Joannæ Joannam subjungemus, primæ secundam, licet de exemplo paragraphi sequentis, si tempora spectes, agendum foret prius. Nimirum Carolus Dyrrhachinus, tertius aliàs item Parvus cognomine, (qui Joannam I. suspendio, Mariam ejus sororem capitis truncatione sustulerat, & cum regna, tum Margaretham, Joannæ sororem natu minimam, matrimoniò possidebat,) Hungariæ coronam consanguineæ suæ, Mariæ, anno 1385. extorquens, adornante Elisabethâ, Mariæ matre, anno statim sequente, a Blasio Forgach, Budæ, lethali vulnere accepto, vitâ & Hungariâ exutus est. Anton. Bonfinius rerum Hungaricarum Decadis III. Lib. I. p. 357 - 367. edit. Basil. 1532. in fol. Collenut. Lib. V. Hist. Neap. p. 333. seq. Hic conjugem reliquerat cum filio Ladislao ac Joanna filia. Igitur cum etiam Ladislaus Rex anno 1414. non relictâ prole mortuus esset ex morbo Perusiæ hausto a meretricula medici filia, cujus pudenda pater a Florentinis corruptus Napello cum interitu filiaë intoxicarat; ex testamento fraterno Joanna, amisso Sterlichio Duce vidua, regnum pacatum accepit ac bene satis munitum. Hæc, cum brevi post odio esset magnatibus, utpote quæ omnem administrationem Pandulfello cuidam Alopo demandaret, quò etiam familiaris cum publica venereæ consuetudinis infamia utebatur; conjugium indignationi remedium fore arbitrata, nubere decrevit. Multi mariti proponebantur. Illa verò elegit præ cæteris Jacobum Narbonensem, Piceni Comitem, ex regia Gallorum stirpe oriundum, ea tamen conditione, ne Regis, sed Tarenti Principis tantum aut Ducis nomen sibi usurparet: Et ille sane Comitis nomine consveto fuit contentus. Collenut. l. c. p. 246. seqq. Verùm militiaë Duces alique procerum Pandulfello & Sfortiæ rerum arbitris infensi, significabant Comiti, veniret bonâ regii nominis spe, se regnum ipsi tradituros. Dictum factum: omnes venientem Regem acceperunt ac salutarunt, solus Sfortia Comitem appellavit. Hinc is & Pandulfellus jussu Jacobi, stimulantibus magnatibus, capti, ultimus etiam capite truncatus fuit. Hòc factò  
Jaco-



Jacobus maximos quosque, jam hunc, jam illum, loco movere, dignissima quæque munera per homines Gallos administrare, Regnam ab omni administratione remotam & veluti relegatam in conclavi tenere, & ne ad opus quidem Venereum admittere. Illa autem, magnatibus hoc modo a Jacobo alienatis, dissimulando arteque muliebri facile efficiebat, ut maritus comprehenderetur p. 349. seq. nec libertati alia lege restitueretur, quam ut, sicuti prius pactum fuerat, Regina fasces regios, ipse non nisi Comitis nomen possideret p. 251. At Jacobus, cui Reginae amores occasione muris nati cum Joanne Caracciolo, quem illa ex scriba Seneschallum regni fecerat, malique mores alii occulti non erant; clam in Galliam profectus se religiosæ vitæ addixit, & deinceps Eremitæ habitu vixit: Is videlicet, qui antea Neapolitanus Rex fuerat nuncupatus p. 253, confer. p. 268.

## XIII.

Hungariam nunc ingrediemur, coronam, quam à Maria Sigismundus accepit, spectaturi. Reliquerat Ludovicus I. anno 1382. è vivis ereptus, duas filias ex altera conjugè Elisabetha, Bosniæ Regis filia, genitas, Mariam, & Adjugam s. Hedwigem, (nam natu maxima Catharina, pueritiâ non excessit) Bonfin. rer. Hungar. Decad. II. L. X. p. 349. Utrique pater in aula sua sponsum a puero, adoptione insuper addita, educabat, Mariæ Sigismundum, Caroli IV. Imp. filium, Decad. III. L. I. p. 356. Hedwigi Wilhelmum, Leopoldi Austriaci gnatum; Martinus Cromerus de Rebus gestis Polonorum Lib. XIV. p. 241. seq. edit. Coloniensis anni 1589. in fol. & L. XIII. p. 225. Poloniam destinavit Mariæ & sponso propter viciniam Marchionatus Brandenburgici, quem pater Carolus Sigismundo emerat. Quin cum Ludovicus viribus deficeret, paulo ante obitum Zolium convocavit proceres Polonos, qui etiam iis in Comitibus jussu ejus in verba Mariæ & sponsi statim jurarunt. Id. ibid. p. 232. Volebat autem, ut Maria ad maturas usque nuptias Virum non duceret, consummatis nuptiis Sigismundum, qui tunc annum agebat XIV, regni consortem pariter admitteret. Bonfin. l. c. Hedwigi contra & Wilhelmo Hungaria iis legibus obventura erat, Cromer.



mer. *ibid.* Verùm defuncto Ludovico, dum Poloni Sigismundo minus faventes tergiverfantur, Hungari, quòd Ludovicum maximi fecerant, sponte sua, Mariam tanto studio in regni fastigium extollunt, ut non modo Reginam, sed Regem pronunciarint, coronarint, salutarint: quæ etiam pro Rege, donec virum accepit, semper appellata, & in cunctis diplomatis rescripta est. Bonfin. p. 357. Cromer. L. XIV. p. 224. Collenut. L. V. p. 233. Sed calamitosum fuit huic regi mulieri imperium. Hungaros facti pœnitebat, quod mater puellæ adhuc Mariæ, Elifabetha, interim regens, ex nutu Garæ, Palatini, unicè penderet: Propterea Carolum Regem Neapolitanum sollicitarunt, ut Mariam scepro privaret. Quæ res exitio Carolo fuit, Elifabethæ, Garæ, & ipsam Mariam in vitæ discrimen, utpote à Joanne Bano Croatia captam, conjecit. Illa igitur tandem liberata Budam omnes statim Ordines quarto regni sui anno convocavit, ac in solenni confessu, postquam prius aliquot leges dedisset, Sigismundo XX. annos nato, concione nitidissimâ habitâ, (quâ durante ipsum dextrâ tenebat,) sceptrum anno 1386. resignavit. Digna foret oratio, quam hic infereremus; verùm brevitatis causa non nisi præcipua dabuntur. Ne fœminæ quidem potestatis est Pannonia, dixit: cui virilis vix dextra moderari potest. Proinde Sigismundo, viro clarissimo, conjugique sapientissimo, sacrum diadema, sceptrum, ac jus omne regni, ultro jubentibus nunc vobis ipsa resigno; Regiam potestatem à patre mihi legatam, ac autoritate vestra mihi comprobata, huic sponte concedo; hunc faustis, quæso, auspiciis, Pannoniæ Regem exclamate. Hunc accipite moderatorem rerum, hunc propugnatorem Ungariæ observate, qui Romanò regnum, ut videbitis, decorabit imperiò. Pacabit hic regnum, hic ocium vobis insolens introducet, hic denique à Turcorum jugo, & ab hostium infidiis Ungariam, mihi credite, vindicabit. Sic Christus Optimus Maximus, sic patrii Dii esse jubeant, sic omnia nobis posthac fausta & felicia, ac etiam Reipublicæ esse velint. Verba habet Bonfin. Decad. III. L. II. p. 372. seq. Vix hæc dixerat, pergit *ibidem* Bonfinius: cum sacrum Diadema ac sceptrum, quod ipsa in media concione gestabat, Sigismundi alterum capiti im-

impo-



imposuit, dextræ jussu populi, patrumque consensu, tradidit alterum. Hinc tantus favor ac plausus elatus est, ut Sigismundo Regi, Mariæque Reginae cuncta feliciter ingeminarent. Initis deinde in Stephani æde solennibus, inter sacrificandum, ab Strigoniensi Metropolita coronatio ritè celebrata, ubi in coronati Regis caput omnes Principes & Optimates cum Antistitibus, item nobiles conventuumque Legati fidum Sigismundo obsequium se perpetuo præstituros esse jurarunt. p. 373. seq. Ab eo tempore penes Sigismundum jus belli ac pacis supremaque potestas fuit, qui, ut ut Mariam subitò mortuam anno 1388. amisisset, indeque litem de Hungariæ regno cum Hedwige acciperet, nihilominus obtinens ad posteros illud regnum transmisit. Bonfin. l. c. p. 376. seqq.

## XIV.

De Hedwigis hujus & Mariti ipsius coronâ secus constitutum fuit. Polonis gratissimum acciderat, quod Hungari Mariam Regem coronassent, quippe ita minus timentibus de Sigismundi in Polonia dominatu. Ægrè tandem Hedwigem Reginam coronarunt, iis conditionibus in Comitibus decretis, ac cum Elisabetha, Mariæ & Hedwigis matre, pactis: ut illa Polonos jurisjurandi religione solveret, quò se Mariæ & sponso Sigismundo obstrinxerant; filia Hedwigis in Poloniam veniret; de consilio Polonorum nupturam reciperet; Poloniâ nec ipsa nec maritus egrederetur. Quod si aliquando Hedwigis nullis liberis relictis decederet, ut Maria soror cum sua posteritate ipsi succederet; vicissimque idem jus esset Hedwigi secundùm Mariæ mortem in Hungaria. Cromerus L. XIV. p. 236. seq. Hedwigis anno 1384. in Poloniam veniens coronata est. Verùm, ut ut Wilhelmum sponsum tenerrimè amaret, cumque eo, ubi Cracoviam venisset, choreis indulgeret, ac thori socium vi & astu sumere fatageret: Poloni tamen arce illum excludebant, ducente tandem die XIV. Febr. anno 1386. Reginam diu reluctantem Jagellone Lithuaniae Duce, iis legibus: ut in ipsis nuptiis cum fratribus ac proceribus suis baptizaretur, nomine Uladislai sumto; Lithuania Poloniae jungeretur &c. Id. ib. p. 243. & L. XV. p. 245. Quarto post nu-



ptias diē Uladislaus Jagello, unctus ab Archi-Episcopo diadema regium novum suscepit. Nam vetus in Hungariam à Ludovico adsportatum, nondum ad eum diem reportatum erat. Sequenti die in urbem solenni pompa deductus, in foro posito folio collocatus, jusjurandum à Cracoviensibus & aliis oppidanis de more accepit, Lithuanis & Russis Ducibus pariter in verba Regis & Reginae jurantibus. id. ibid. An hæc de consensu Hedwigis libero facta sint, non additur. Id patet ex toto Lib. XV. administrationem rerum potiore penes Uladislaum fuisse, usque ad obitum Hedwigis, quæ primo partu filiam Elisabetham Bonifaciam anno 1399. sed triduo post mortuam enixa, pauco interjecto tempore ex hæc mortalitate secuta est. Id. ibid. p. 256.

## XV.

Digna etiam memoratu exempla sunt, quæ in Hispaniis extiterunt. Henricus IV. Castellæ Rex, Joannis II. filius, fororem habebat Elisabetham sive Isabellam, natam IX. Kal. Maji 1451. hæredem regnorum fratris, quod satis constaret, Henricum genitalibus esse debilem, neque per naturam patrem fieri posse, Michael Ritus de Regibus Hispan. Lib. III. fol. 34. seq. edit. Basil. 1517. in 4to. Nihilominus Blanca, Joannis II. Aragonii filia, Henrici uxor, anno 1462. filiam enixa est, cui nomen Joannæ inditum. Tota Castella suppositam à matre fuisse clamabat. Id. ibid. Mariana Historiæ de rebus Hispan. Lib. XXIII. cap. XI. locum nominat, quo Blanca à juvene quodam, in quem procaces oculos conjecerat, stupro oblato gravida effecta sit. Assseverat ibid. cap. IV. quod habitus honos patri mercesque stupri data fuerit. Id liquet, Henrico in faciem objectum; Joannam non esse abs se genitam, Lib. XXIV. c. I. imo adactum eum à proceribus tandem fuisse, ut Isabellam hæredem declararet, eâ tamen lege, ne nuberet nisi de consensu fratris. Lib. XXIII. c. XIII. Illa autem parum memor cum promissi esset, matrimonium Donniis IV. Non. Octobr. 1470. cum Ferdinando Arragonio VI. Idus Martii 1452. nato, inscio Henrico contrahens, abdicata à fratre fuit, Joannam filiam putatitiam, quæ Lusitano nupserat, hæredem testamento nominante. cap. XV. & L. XXIV. c. IV.

At



At procétes tamen præcipui, ubi Henricus, III. Id. Decembr. 1474. decessisset, Isabellæ faventes ipsam & Ferdinandum Reges declararunt Segoviæ. Jurarunt verò tantum in Isabellæ verba, quoniam Ferdinandus tunc aberat. Cùm venisset postridie novi anni 1475. Summi, Medii, Infimi dixerunt sacramentum, manus regias deosculati. De forma regiminis controversia excepit, Isabellæ aulicis negantibus, Ferdinandum ad aliquam Reipublicæ partem accedere fas esse, ac ne Regis quidem Castellæ nomen adscribere. De qua re è Neapolitano regno non unum exemplum afferebatur: utraque Joanna imperante viros regio abstinuisse nomine, conjugio contentos atque eo honore, quem Regina uxor dedisset. Arragoniis multa in contrarium disputantibus, tandem inter Virum & Uxorem fœdus his legibus est scriptum: Ut in regiis tabulis, edictis, moneta, Ferdinandus prius, deinde Isabellæ nomen exprimeretur. Contra in communi clypeo Castellæ insignia Arragoniis potiolem locum occuparent. Hoc gentis prærogativæ, illud viri dignitati datum est. Isabellæ nomine arces obtinerentur. Ejus sacramento tesseraque quæstores vestigalia regia administrarent. Sacerdotia utriusque nomine, Reginae voluntate darentur, modo viris literatis. Ab ambobus cùm uno loco essent jura populi peterent finitimi longiniquique: Disjuncti, quo loco uterque esset, suo nomine jus diceret. Aliis pro vinciis & urbibus, is penes quem esset regius senatus. Idem ordo Prætoribus juri dicundo creandis servaretur. L. XXIV. c. V. quod integrum legi meretur, utpote multum ad scopum faciens.

## XVI.

Ferdinandi & Isabellæ, Regum Catholicorum, fœcundum erat conjugium, ante etiam quàm Henricus Isabellæ frater obiret. Tertio partu edita Joanna VIII. Id. Nov. 1479. è vivaci prole prior fuit, elocataque Philippo Maximiliani Austriaci filio, nato X. Kal. Febr. 1478. qui primus anno 1488. Imperatoris avi FridERICI indulgentia Archi-Ducis Austriæ novo nomine insignitus erat. Mariana L. XXV. c. XII. Joannæ ac Philippo Hispani juramentum dixerunt jubentibus præsentibusque, Ferdinando & Isabella anno 1502. ac cum Isabella VI. Kal. Decembr. 1504. ex morbo



incurabili & fœdo decessisset, testamento hæredem ex asse scripsit Joannam filiam, unaque Philippum ejus virum; sed ut, si Joanna nollet regnum administrare, Ferdinandus Catholicus rempublicam procuraret, dum Carolus Joannæ filius XX. annos natus esset. Lib. XXIIIX. c. XI. Erant eo tempore Joanna & Philippus in Belgio, & Joanna quidem, quòd mente vacillare diceretur, à confortio promiscuo seclusa. Nihilominus Ferdinandus, Castellæ Regis nomen invadere, quod aliqui svadebant, recusans, ipso die quo conjux Regina obiit, post prandium luctu in lætum vultum mutato, egressus regiâ, è suggestu in foro excitato regia vexilla explicari, Joannæ filia & Philippi viri nominibus gentis instituto inclamatis, curavit. Fridericus Toletus, Albanus Dux, vexilliferi partes implevit. Eo exemplo per urbes & oppida, quibus ea prærogativa data est, similis cerimonia est perfecta, sed inclamato tantum Joannæ Reginae nomine, Philippi viri mentione nulla; tantundem in regiis diplomatis, atque edictis publicis, quæ voce præconis evulgantur, observatum est. Enimverò sacramento veteres tabulas, privilegia & leges regni confirmari à Philippo prius volebant, ne aliquid ab antiquo moveretur. &c. Id. ibid. Brevi post, nempe III. Id. Jan. 1505. Ferdinandus concilium regni convocavit, in hoc proceres, prælecto prius Reginae testamento, sacramentum Joannæ dixerunt quasi Castellæ Reginae, matris hæredi, ac Philippo viro conjugis jure, præterea Regi Catholico administratoris nomine. Verum enim verò malè id habuit Philippum causatum, quid nisi ludibrium continere, Regis nomen dare, & regiam potestatem adimere? Proceres Philippi causæ favebant, maximè quòd Ferdinandus ad secundas nuptias X. Cal. April. 1506. transitum fecerat, adeo ut, cum IV. Cal. Maji ejusd. anni è Belgio adductâ secum Joannâ appulisset, tanto applausu & frequentia exceptus sit, ut Ferdinandus rerum Castellæ procuracionem abdicare, Philippo autem, qui Joannam ceu mente captam seorsim asservabat, summam rerum permittere cogeretur. Sed Philippus eodem adhuc anno VII. Kal. Octobr. horâ I. pomerid. ætatis anno XXIIIX. mortuus est: atque tunc Ferdinandus, volente ita potissimum Joannâ filiâ, quæ vivente adhuc marito Patrem

trem



trem administratorem semper voluerat, reclamantibus plerisque proceribus, & Maximiliano Imperatore tutelam nepotis, Caroli, sibi postulante, administrationem Castellæ iterum suscepit. Vid. hæc omnia fusè apud Marianam Lib. XXIIIX. à c. XI. ad XXIII. & L. XXIX. à cap. I. ad XII. Ferdinandus vitæ finem fecit X. Kal. Febr. horâ I. nocturnâ 1516. Tribus distinctis testamentis, quæ condidit, Joannam Reginam hæredem Arragoniæ reliquorumq; suorum regnorum, Carolum nepotem, administratorem scripsit, Lib. XXX. cap. XXVII. Joanna Mantuæ Carpetanorum A. 1555. decessit, ex zelotypia olim contracto animi morbo, qui in apertam ac solennem insaniam evasit, & ab eo tempore turre inclusa cumq; felibus colluctans ad extremam senectutem pervenit, servatis regnorum Hispaniæ titulis, quos conjunctim cum filio, Carolo Imperatore, sive id sua voluntate, sive ex Ordinum decreto fieret, quamdiu vixit, in omnibus actibus publicis semper usurpavit. Quin Cæsar matris morte sive admonitus, sive adversam fortunam pertæsus, urgente ingravescentis valetudinis incommodo, de secessu in Hispaniam seriò cogitare cepit; imo annò proximò imperio & regnis se abdicavit. Thuan. ad A. 1555. L. XVI. p. 506.

## XVII.

De Francisco II. Galliæ Delphino, & Maria Scotæ, thesis V. quædam exhibet. Hoc addendum: quòd quamprimum in Scottorum Comitibus, ut corona matrimonialis à nonnullis proceribus in Galliam transferretur, post multos Legati Gallici labores decretum esset; licet missio non perficeretur, Franciscus tamen, Rex Delphinus salutatus; à Gvifia Mariæ matre, quæ regentis titulum gerebat, generi ac filiæ nomine omnia gesta; eâq; IV. eid. Jun. 1559. mortuâ, Scotis à Maria Regina, consentiente viro, oblivio omnium, quæ abs iis patrata fuerant, pacta, sancitumque fuerit, ut Comitibus habendis utriusq; Regum autoritas accederet. Buchan. L. XVI. fol. 109. seqq. Thuan. L. XXIV. ad Ann. 1559. p. 727. - 731. seq. Sed mortalitatem Franciscus II. explevit Non. Xbris 1560. cum XVII. annos, X. menses, uno plus die vixisset. L. XXVI. ad Ann. 1560. p. 785.

## XIIIX.



Maria vidua, juvenis admodum, anno sequente ex Gallia in Scotiam reverfa, amore Henrici Darlæi, Matthæi Stuarti Levinix Comitis filii, capta, eum thori socium præcipiti fati consilio sumfit, quamvis & Mariæ Scotæ, & Mariæ Anglæ, cùm confangvineus esset tum subditus. Celebratis nuptiis IV. Kal. Vtilis 1564. acclamatum est precante multitudine, ut prosperè omnia succederent Henrico & Mariæ Scotorum Regibus: ac postridie, Edimburgi, iidem Reges præconio pronunciantur, non consultis regni Proceribus, quorum tamen, ut de nuptiis iis determinaretur, concilium à Regina convocatum adhuc durabat non sine indignatione omnium. Buchan. L. XVII. p. 643. seq. Thuan. L. XXXVI. ad ann. 1564. p. 309. seq. Sed ut in faciendis nuptiis Reginx præceps fuerat temeritas, ita repente secuta est pœnitentia, & mutata voluntatis non obscura indicia: cum enim à nuptiis statim sine publico consensu, publice præconis voce Regem pronunciaffet, & postea in diplomatis observatum ad id tempus fuisset, ut Regis & Reginx nomen exprimeretur, non multo post, eodem scilicet anno, utroque nomine servato, mutatus tantum ordo est, ut Reginx nomen prius, Regis posterius scriberetur. Tandem Regina, ut omni gratificandi potestate spoliaret maritum, causata est; per ejus absentiam, dum venationibus & aucupiis esset occupatus, multa aut non suo tempore fieri, aut omnino prætermitti: commodius fore, ut ipsa pro ambobus subscriberet, Davide Rizio, amasio suo, Musico Italo, sed ad tantum fastigium evecto, quò res indignior esset, ei substituto, qui publica diplomata ferreo typo pro Rege signaret. Ita Regem omni dignitate spoliatum, ut cuius nec amicitia cuiquam esset fructuosa, nec ira formidabilis, ad majorem contemptum asperrima hieme Peblum ablegat, ut procul à consilio & publicorum negotiorum conscientiam abesset, & omnium beneficiorum gratia ad ipsam solam redundaret. Buchan. l. c. p. 646. seq. Thuan. c. l. p. 311. Rex, cui Maria XIII. Kal. Vtilis 1565. filium Jacobum peperit, præsentem Reginam gravidam, Rizio trucidari jussit, svadentibus Procerum non paucis. Buchan. ib. p. 650. seq. Thuan. Lib. XL. ad ann. 1566. p. 417. Verùm gravius  
ideo



(17)

ideo Reginae contraxit odium, & quod supra modum uxorius esset, insidiis ejus primum veneno petitus; ac post, cum innoxius evasisset, noctu miserè interfectus est, IV. eid. Febr. 1567. Buchan. L. XIIIX. à pag. 656-661. Thuan. ib. ad Ann. 1567. p. 419. seq.

XIX.

Jacobus Heburnus Bothueliae Comes, qui post necatum Rizzium intimae apud Mariam admissionis potentiorque ipso Rege fuit, primis in regicidio isthoc partibus defunctus est. Praemii loco ipsa Regina nuptiis celebratis Bothuelio obtigit, licet is duas adhuc uxores vivas haberet, tertiam nuper, insigni turpitudine proprium fassus adulterium, dimisisset, indeque denunciationes tribus diebus Dominicis in templo de futuris nuptiis factae omnium detestatione acciperentur. Factum illud Anno 1567. Buchan. l. c. à pag. 660-670. Thuan. c. l. ad Ann. 1567. à pag. 422. 424. Hic Bothuelius nunquam Rex salutatus est, quippe quem ipsa Regina & in aula Gallicana interprete Legato suo, & in foederis conditionibus cum quibusdam Proceribus Scotiae initi, maritum tantum suum appellavit. Buchan. ibid. p. 671. seqq. Thuan. ibid. p. 424. seq. Imo insurgentibus contra novos conjuges Scotis, Bothuelius eodem adhuc anno in fugam datus piraticam apud Orcades exercuit; sed tempestate in Cimbricam Chersonesum delatus, ibique carceri mancipatus, post decennium, accedente ad fordes aliasque miseras amentia dignum flagitiosam vitam exitum habuit. Thuan. p. 427. seqq. Regina verò intercepta, regnum VIII. Kal. Vtilis 1567. ejurare filioque relinquere coacta, id, ibid: in Angliam fugiens, ut auxilia Elisabethae impetraret, cum toties novas nuptias ibidem in exitium Anglae jam meditaretur, jam pacisceretur, post XIX. annorum captivitatem in arce Fodrunga Cantii, securi percussa fuit VI. eid. Febr. stili vet. 1587. Camdenus Annal. Anglicor. regnante Elisabetha, Part. III. ad A. 1587. maxime à p. 522.-528. edit. Amstel. 1677. in 8vo. Thuan. Lib. LXXXVI. ad ann. 1586. & 87. à p. 155-168.

XX.

Ex Scotia in Angliam nil praepedito cursu tendimus: Et  
C enim



enim & heic Maria quædam sceptrum gerens marito regio nupsit. Fuit illa Henrici VIII. ex Catharina Hispana, filia, nata XII. Kal. Mart. 1515. Fratri Eduardo VI. anno ætatis XVI. prid. Non. Vtilis 1553. dies claudenti post difficultates non unas successit. In Comitibus primis, quæ habuit eodem adhuc anno, cura fuit non minima de marito Regina eligendo, à quo illa hucusque abhorruerat seu naturâ, seu quod proveciori ætate esset. Tandem sive ex suorum consilio, sive necessitate compulsa de nuptiis cogitare cepit, quod vereretur, ne ob sexus imbecillitatem in suorum contemptum deveniret, nondum constitutâ autoritate, & regno à recenti factionum memoria adhuc fluctuante. Tres nuptiis ejus destinabantur, Philippus Hispaniarum Princeps Cæsaris Filius, Reginaldus Polus Cardinalis, & Cortinaeus regulus. Maria in Philippi nuptias consensit. Cæsar itaque Philippi parens missis Londinum Legatis ineunte Januario 1554. rem confecit. Pactis dotalibus hæ conditiones appositæ sunt: ut nuptiis quamprimum fieri possit contractis, Philippus omnium uxoris regnorum ac provinciarum titulos sibi sumat, sociusque in negotiorum administratione sit, integris regni privilegiis ac consuetudinibus; plenâ iudem & liberâ beneficiorum, gratiarum, ac functionum distributione penes Reginam remanente. Vicissim Regina in societatem omnium regnorum ac dominiorum Philippi mariti, quæ ipse jam possideret, & ei postea obventura sint, vocetur; & si Philippo superstes sit, donationis propter nuptias nomine LXCIJ librarum annua pensio, uti olim Margaritæ Anglicæ Caroli Burgundionis viduæ, ei assignetur; quarum XLCIJ in Hispania exsolvantur, XX. in Belgio & provinciis Belgicæ ditionis pendantur. Utque litibus ac dissidiis obviam eatur, conventum, ut in dividenda hæreditate, quicumque ex eo matrimonio nascentur, in omnia regna ac dominia Regina: præterea in omnes Belgii & Burgundiæ, quos Cæsar possidet, principatus succedant; Carolus natu grandior Philippi ex prioris matrimonio Filius vicissim in cætera omnia tam patris, quam aviæ & Cæsaris avi in Italia & Hispania regna succedat; ad solutionem tamen XLCIJ librarum eorum bonorum ratione teneatur.



tur. Si ex hoc matrimonio tantum filix nascantur, primogenita in omnes Belgii ditiones succedat hac lege, ut maritum in Anglia aut Belgio ex consilio & consensu Caroli fratris deligat; si aliunde sine fratris consensu sumat, Belgii successione privetur, & jura integra in Belgio penes Carolum fratrem & ejus hæredes maneant: illi tamen a fororibus dos conveniens juxta locorum leges ac consuetudines assignetur. Si contingat Carolum aut qui illi successerint, hæredibus suis defici, eo casu, qui primus ex hoc matrimonio nascetur, etiam si fœmina sit, in omnia utriusque conjugum regna tam Belgii quàm Hispaniarum atque in omnes Italiæ principatus succedat, idemque regni cujusque jura, privilegia, immunitates, consuetudines inviolatas servare teneatur. Inter Cæsarem, Philippum, ejusque hæredes, inter Reginam ejusque liberos & hæredes & utrorumque regna ac ditiones constans amicitia, concordia & fœdus perpetuum sit atque inviolabile; nuper facta anno hujus seculi XLIII. Westmonasterii, & quadriennio post Ultrajecti XVII. Kal. Febr. fœdera renoventur ac confirmentur: Thuanus ad eos annos passim, præcipue Lib. XIII. ad A. 1554. p. 396. seq. Pactis utrinque rati habitis, Maria novo conscripto Parlamento de matrimonio cum Philippo sententiam significavit. Hoc consensit certis tamen legibus: nimirum ut Hispaniarum Princeps nullum ad munus publicum aut dignitatem in regno admittere possit; nisi qui in Anglia natus sit, & Reginæ subditus; in familiâ suâ certo numero Anglos habeat, quos honorificè tractet, nec ab externis ullâ injuriâ affici patiantur: non possit Reginam ex Anglia, nisi ipsa roget, secum abducere, nec filios, quos ex ea susceperit, qui in Anglia adolescent & educabuntur in spem successionis, nec inde exire permittentur, nisi necessitas aut legitima causa inciderit, idque ex Anglorum consensu; Regina sine liberis decedente Princeps nullum habeat in regno jus, sed liberum regnum ei, cui jure competet, relinquere teneatur; nihil in iis, quæ ad jura sive publica, sive privata, immunitates, consuetudines regni spectant, innovet, antiqua regni jura confirmare & servare teneatur, nihil gemmarum & pretiosæ suppellectilis ex Anglia a vehi permittat, nihil ex regio



patrimonio alienet, naves, machinas, & omnem apparatus bellicum conservet; arces & munita loca diligenter custodiri curet: postremo hujus connubii ratione nihil fœderi inter Regem Galliarum & Reginam nuper inito derogetur, paxque inviolata inter Gallos & Anglos maneat; Principi tamen liberum sit, ex aliis regnis & ditionibus Cæsari patri suppetias mittere, sive ad injuriam propulsandam, sive ad ultionem de accepta sumendam. Cùm ergo nihil amplius impedimenti subesset, Philippus idoneam tempestatem nactus XIIX. Kal. Vtilis Juliobrigâ Calecorum portu solvens, afflante Austro triduo post Antonam cum Hispanica classe appulit, pomposèque ad Reginam deductus est, cum quâ die Jacobi, in cujus patrocinio Hispania, Vintonii nuptias splendidissimas celebravit. Cum ad locum sacrum ventum est, Jo. Figveroa Cæsaris nomine regno Neapolitano cessit, & jus omne, quod ipsi in eo competebat, in Philippum filium transtulit. Mox recitantur pacta, quæ per Legatos conventa fuerant, & demum voce Principis confirmantur. Tum more in privatorum nuptiis usitato Vintoniensis Episcopus, qui ut inaugurationem Mariæ, sic & hanc ceremoniam peregit cum aliis V. Episcopis, à circumstantibus quæsit: an quisquam esset, qui impedimentum justum aliquod subesse sciret? Cùm nemo contradiceret, & contra omnes confusâ voce assentirent, confecta res est, ac proclamationes titulorum utriusque publicè factæ Latinâ, Francicâ, & Anglicâ Linguâ. Thuan. c. l. p. 398. seq. A nuptiarum tempore Maria & Philippus in Comitibus unâ comparuerunt, Cardinalem Polum Nuncium Apostolicum exceperunt, amplam & honorificam decreverunt ad Pontificem legationem, quæ Reginæ & Philippi ejus mariti nomine obedientiam sedis Romanæ præstaret. Sed prærogativa Mariæ vel ex hoc patet; quod, cum dictus Cardinalis Româ veniens, quo tempore cibus capiebatur appulisset, Philippus qui cum Maria adhuc ad mensam sedebat, surgens obviam processerit; Regina verò ad summas scalas venientem exceperit: Quod etiam cum Maria Polus statim contulerit, Philippum autem triduo post adierit.



p. 400. seq. Hoc certum: Philippum in Anglia non esse coronatum. Etenim in duobus diversis regni conventibus An. 1556. peractis, Maria de Diademate Philippo imponendo sollicita, at frustra fuit: Thuan. ad ann. 1556. L. XVII. p. 509. seq. Jam verò is ex Anglia in Belgium à patre vocatus anno præcedente venerat, nec reversus in regnum illud unquam est, maxime quòd Maria XVII. Kal. Xbr. 1558. febr. ex aqua intercutte orta sublata esset. Id. ibid. ann. 1555. Lib. XVI. p. 506. Ad ann. 58. L. XX. p. 623. Galli victoriam augendi causa, animo ægram, quod Caletum amisisset, occubuisse, arroganter, perhibent.

## XXI.

Mariæ, privigna ex Anna Bolenia, Elisabetha, VII. Sept. 1533. nata, statim successit. Eam primùm Philippus viduus, hinc Leycestrius, inde Araniæ Comes, Ericus Sveciæ Rex, aliique ducere sategerunt. Nulli æquè favit, ac Francisco, Henrici II. filio quinto, Francisci II. Caroli IX. Henrici III. Regum, fratri minori natu, qui primùm Alenconius, post Andinus, tandem, Elisabethæ auspiciis, Brabantia Dux A. 1582. ætatis anno XXX. creatus est, Thuan. L. LXXV. ad illum Ann. p. 551. seq. Amores enim illos non Regina professâ solùm est vice plus simplici; verùm missa ab Henrico III. Legatio solennis cum delegatis Regina ipsas tabulas matrimoniales confecit A. 1581. subsignatione tamen dilatâ. Quin haud multo post Andinus in Angliam venit, ad trimestre inter hastiludia & lætitiæ spectacula totam hyemem apud Elisabetham summa familiaritate exigens, adeo ut vis pudici amoris inter amatoria colloquia eò provexerit, ut annulum suo digito detractum Andini imposuerit, de quo etiam annulo triduo post mutua, quales inter amatores esse solent, exprobrationes natae sunt. Camdenus Ann. rerum Anglic. Part. III. ad A. 1581. p. 363. Thuan. L. LXXIV. ad eum Ann. p. 520. Quamvis autem nuptiæ consummatae non fuerint, Elisabethâ, (ubi Andinus, bonâ tamen ipsius pace, V.



Id. Febr. 1582. Doverâ solvens in Belgium reversus esset, ) multum tergiversante, causas vide apud Camdenum ibid. p. 364. Thuan. ibid. p. 521. seqq. imo Andino etiam IV. Id. Jun. 1584. morte, non sine veneni suspicione, abreptô. Thuan. L. LXXIX. ad Ann. 1584. p. 679 - 681. Nihilo tamen fecius operæ pretium fuerit, tabulas matrimoniales hic recensuisse, in quibus scribente Camdeno l. c. p. 360. seqq. in hæc ferè verba conventum est: Dux Andinus & Regina Angliæ infra sex hebdomadas post ratificationem harum conventionum matrimonium de præsentati in Anglia contrahent. Dux & sui, modo non sint nativi Angliæ subditi, suam religionem liberè exerceant, in constituto aliquo loco in suis ædibus sine impedimento. Ille nihil mutabit in religione jam in Anglia recepta. Post matrimonium consummatum gaudebit titulo & honore regio, sed omnimodam rerum dispositionem Regiæ integram relinquet. Quod petiit, ut statim à matrimonio Rex coronetur, & gaudeat eo honore, tam constante, quàm soluto matrimonio, durante gubernatione regni in minoritate liberorum suorum; Regina promittit, se petitionem regni Ordinibus in primo Parlamento, quod infra XV. dies post ratificationem convocabit, proposituram, & quantum potest promoturam. Literæ patentes & cætera, utriusque nomine emanabunt, ut tempore Philippi & Mariæ. Regina ordinabit annuam pensionem Duci ex autoritate Parlamenti, sed quanta illa fuerit, suo arbitrio relinquetur, & efficiet, ut Parlamentum ei pecuniam notabilem annuam assignet, si Regiæ supervixerit. Constituet ille Regiæ dotem ad annum valorem XLM. Coronatorum solarium, ex Ducatu Biturienti, & mittet eam in possessionem statim. Quod de liberis in Angliæ Parlamento statuetur, in acta redigetur in Parlamenti Franciæ, ad hunc modum: Masculi sive fœminæ in maternam Angliæ hæreditatem succedent. Si duo fuerint masculi, primogenitus succedet in regno Franciæ, secundogenitus in hæreditate materna. Si unus masculus, si ad utrasque coronas pervenerit, morabitur in Anglia singulis bienniis VIII. menses, & si Dux non pervenerit ad jus regni Franciæ, liberi in Appa-  
nagi-



nagium succedent, si supervixerit Regina, habebit tutelam liberorum; si masculi non exceſſerint XVIII. annum, & foeminae XV. Si antea Dux moriatur, tutela relinquetur authoritati Parliamenti. Dux nullum extraneum ad aliquod officium in Anglia promovebit. Nihil in jure mutabit, sed omnes consuetudines conservabit. Non abducat Reginam & liberos extra fines Regni Angliae, nisi ipsius & Magnatum regni consensu. Si nullis relictis liberis Regina moriatur, Dux nullam sibi proprietatem vindicabit in regno Angliae. Jocalia Regalia ex regno non transportabit; loca singula, & regna per nativos Anglos custodiri faciet, nec inde apparatus bellicum amovebit. Non miscebit Angliam aliquo externo bello. Pacem inter Angliam & alia regna curabit. Regina solummodo gaudebit superioritate, absque omni titulo qui obvenire poterit Duci, tanquam tenenti per Angliae consuetudinem. Dux hoc matrimonio non intendet praesudicium facere juri suo in successione Regni Francia. Praesens contractus legetur, promulgabitur, & in acta referetur in omnibus Curiiis Francia & Angliae, post VI. menses, a die matrimonii, accedente authoritate Regis Christianissimi pro ratificatione horum articulorum. Haecenus Camdenus; Sed leguntur omnia propemodum etiam apud Thuan. ad Ann. 1581. L. LXXIV. p. 518. seq. Caeterum antea etiam, nempe anno 1567. Maximilianus II. Imperator per Comitem Stolbergensem, Legatum suum apud Elisabetham; haec per Suffexiae Comitem apud illum de matrimonio cum Carolo Austriae Archi-Duce egerant, eo successu, ut pariter de conjugii articulis quaedam jam tum disceptarentur, quos legas apud Camdenum c. I. Part. I. ad Ann. 1567. p. 130. Verum nihil consummatum est. Certè Elisabetha ambiri, colli ob formam, & amoribus, inclinata jam ætate, vacare videri voluit; alioqui tota vitæ cœlebs à nuptiis abhorruit; Judicium est Thuani L. CXXIX. ad A. 1603. p. 1052. Quo anno mortua est XXIV. Martii st. v. hora quartâ matutina cum LXIX. annos VI. menses vitæ egisset, XLV. & amplius regnasset.



Quemadmodum verò Anglia digna memoratu nobis sup-  
peditavit circa matrimonialem coronam momenta; ita non mi-  
noris cenferi debent ponderis, quæ in coronatione Wilhelmi III.  
hodierni Regis prudentissimi, conjugisque ipsius Mariæ, sive  
peractæ cerimonix, sive obfirmatæ constitutiones. Nimi-  
rum, postquam Jacobum II. regni Conventione, ita vocabatur,  
pronunciante, regno excidisse certum esset; leges successionis  
& consuetudo Mariam, Jacobi filiam, Reginam designabant.  
Nihilominus Conventio utriusque domus XIII. Febr. M. DC.  
LXXXIX. declarationem Wilhelmo & Mariæ obtulit, quæ  
præmissis aliis hæc verba complexa est: Als sind gedachte zu  
Westmünster versammlete Geistl. und Weltliche Lords / wie  
auch die Gemeinen schlüssig worden / und erklären / daß Wilhel-  
mus und Maria, Prinz und Prinzessin von Oranien, zu König  
und Königin in Engeland / Franckreich / und Irreland / wie auch  
aller darzu gehörigen Länder erkläret sind / daß sie / der Prinz  
und Prinzessin / wie auch ihre Nachkommen / die Königliche Kro-  
ne / Würde / Königreiche und Länder besitzen sollen / und zwar  
dergestalt / daß der Prinz die Königliche Gewalt und Macht  
vollkõmmlich allein besitzen / allezeit aber unter beyden des Prin-  
zen und Prinzessin Nahmen exerciren soll: Nach ihrer beyden  
Tode aber soll die Königliche Würde und die Besizung aller er-  
wehnten Königreiche und Länder auff der Prinzessin Leibs-Er-  
ben / und in deren Ermangelung auff die Prinzessin Anna von  
Dennemarck und ihre Leibes-Erben fallen. Solte denn auch da  
kein Erbe übrig seyn; so sollen des Prinzen von Oranien Nach-  
kommen die Succession zu hoffen haben. Pariter in ipsis Coro-  
nationis, XXI. Aprilis anni VVILheLMVs tertIVs AngLIæ  
VIInDeX peractæ, solennibus, potior Regis ratio fuit habita;  
Anglorum institutum non diu post Scotis quoque imitantibus.  
Videatur das neugeharnischte Groß-Britannien p. 1041. & mul-  
tis seqq. Wilhelms Prinzens von Oranien Lebens-Beschrei-  
bung à p. 532-562. der Groß-Britannische Thron und Cron à p.  
268. ad finem.



Expromsimus ita Regum exempla, quotquot invenire potuimus ad matrimonialis coronæ historiam illustrandam spectantia. Equidem addere potuissemus quædam de Christina Sveciæ Regina, quæ à Daniæ Regis filio perperam, à Friderico Wilhelmo, Magno illo Brandenburgico Electore, meliori successu, faventibus Christinâ, ejus matre, proceribusque Sveciæ, imo dum adhuc viveret Gustavô Adolphô ipsô, expetita est, Vid. Nobilissimus Pufendorf. de rebus Svec. L. IIX. ad A. 1636. p. 269. L. V. ad A. 1633. p. 102. L. XIV. ad A. 1642. pag. 494. Verum, quoniam in hoc & similibus exemplis, de ipsa Coronatione, aut accipiendis prærogativis, pacta nondum intervenere, nolimus extravagari.

XXIV.

Pariter nullam habuimus rationem principum inferioris, quam regia est, dignitatis. Aliàs de Isabella & Alberto Belgii Gubernatoribus; de Carolo & Nicolæa Ducibus Lotharingiæ, &c. in medium proferenda erant non contemnenda. Nam & diplomatum & monetarum inscriptio, cum hic tum ibi, utriusque præ se tulit nomen. Quam ob rem pedem figentes, à L. B. si qua meliora norit, veniam nobis petimus. Quod autem vires dederit, persolvimus

SOLI DEO GLORIAM.

D

CO-



COROLLARIA.

I.

EThica reliquis moralibus disciplinis est præstantior.

II.

Juvenis idoneus auditor cum Ethicis tum Politicis censeretur debet.

III.

Princeps Legati sui operam alium circumventurus, primo omnium Legatum ipsum decipiat oportet.

IV.

Fortuna quid aliud, quam arcana Dei providentia?

V.

Ex urbibus valde vastis incommoda quam commoda majora in rempublicam redundant.

Reve-





Reverendisimo ac Per-Illustri  
 DN. GEBHARDO JULIO  
 de MANDELSLOH,  
 Generosissimi DN. Respondentis  
 Parenti

S. P. D.

JOANNES Gottlieb Hardt.

**P**aterquam quod multo favore, in beneficia non  
 vulgaria vice plus simplici effuso, Reverendis-  
 me ac Per-Illustris Domine, à pluribus annis me  
 meosq; complectaris; tanta Tua in me exstitit fiducia:  
 ut filiorum, quotquot adultos habuisti, ephorum con-  
 stituere non sis dedignatus. Trimestre ultra triennium  
 est, cum binos natu majores concrederes: Tertius an-  
 te annum Tilieto nostro insertus. Hic, Te arbitro, a-  
 liquandiu adhuc, Deo volente, nobiscum aget. Alter,  
 arthriticis insultibus, qui rarò exemplo à primis pu-  
 bertatis annis discrutiarant, indies ingravescentibus,  
 ante biennium domum; inde in Juliam se contulit: eo  
 tamen eheu eventu, ut morte placidà inibi, & cum eo  
 ingens spes Tibi, ingens Patriæ, eriperetur. Primo-  
 genitum Tibi nunc restituo, incolumem ac perpolitum.  
 Asseverare enim possim, Per-Illustris Domine, Otto-  
 nem Tuum Albertum hic loci non solùm iis lingvis at-  
 que




que exercitamentis sedulam dedisse operam, quibus ordo equestris præ aliis & delectatur & commendabilis redditur. Næ is in Musarum etiam castris strenuum se adeo solertemque gesit; ut depositis in Philosophico stadio tyrocini rudimentis, in ipsam Juris cum publici tum privati acropolim penetrarit: Quin forensibus quoque progymnasmatibus velitando non sine laude sit defunctus. Sed non est, cur talia fusiùs edisserantur; Siquidem præsens non proletarium specimen conamina Generosissimi Juvenis disertè loquatur: cui ipse Academicus Senatus, quem nunquam toto vitæ Academica tempore causæ ullius suæ judicem adire opus habuit, publicum triennii probè ac sedulò transacti testimonium decrevit. Ego etiam, quod scis Patrone Maximè, de filio apud Te conquerendi nullam unquam habui necessitatem. Ominor itaq; futurum esse, ut Filius iste Tuus, si perrexerit virtutum tramiti insistere, Reipublicæ multùm commodaturus, familiæ nobilissimæ non parum fœneraturus sit splendoris. Deus ita evenire faciat, & largiatur: ut Tibi, Domine Per-Illustris, de propria deque filiorum prosperitate, mihi de Patrocinio Tuo constanter gratulari possim. Vale. Scribebam Lipsiæ XVII. Julii M. DC XC.

F I N I S.

WMA





*c Per-Illustri,*  
NO  
O JULIO  
LSLOH,  
electorali Bran-  
Ducatu Magdebur-  
Commiffario ad res bellicas  
nslebiensis & VVolmirfte-  
n Collegiatorum S.S.S.S.  
uli, respectivè Decano &  
ten, Malenzin, Ribbes-  
eutenwinckel &  
g,  
*observantiâ æter-*  
*suspiciendo,*  
ad promerendum porro  
ernum  
emicum specimen  
*do, dico, dedico,*  
lius obedientissimus  
us de Mandelsloh.

